

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

XLIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

to, Tract. de Pecc. Orig. Th. XXII. hunc in modum disputarunt: Si DEO placuisset, conditum hominem in statu merè naturali relinquere & ad sublimiorem non evehere, sive ad consequendum supernaturalem finem mediis ejusdem generis non instruere, tum nasci cum concupiscentia ad motus & impetus rationi adversos proclivi, nullum fuisset peccatum: nullà videlicet positâ tali primæ creationis vel divinæ ordinationis lege, per quam teneretur homo ab ejusmodi concupiscentiâ esse immunis, vel dote sive justitia originali eum compescente instructus. Et ne quidem inordinata potuisset dici, si nullus fuisset ordo, juxta quem aliter, quam nativâ pronitate, ferri debuisset. Idem dicendum de ignorantia mentis & voluntatis inordinata ad bonum caducum conversione, quatenus in primo homine ad supernaturalem finem destinato, per concreata supernaturalia dona removebantur, sive corrigebantur. Horum enim carentia vitio dari vel peccatum haberi non potuisset, si homo in statu merorum naturalium relictus consequendo sublimiori fini destinatus & aptatus non fuisset. Sed ab Ecclesiâ Lutheranâ opinionis hujus falsitas ex fundamentis superioribus constanter demonstrata & fieri non posse creditum est, ut DEUS sine periculo causalitatis peccati, in DEum ipsum redundaturæ, naturam conderet rationalem, æternæ & immutabili legi: non concupisces, haud subjectam. Quæ cum ita se habeant, propositio major in argumento Alberti: *Omnis inordinatus motus natura rationalis est peccatum*, indubiæ veritatis sit, oportet. Neque etiam de Minore major dubitandi causa est. Si enim damnati intellectu & voluntate moventur, sicut moveri nemo dubitat, qui tristari eos, qui frendere, qui lacrymari, qui truncos & lapides non esse, novit, tum aut ordinatè aut inordinatè movebuntur. Nunc autem ordinatè moveri damnatos, quos & pœnarum atrocitas & intellectus atque voluntatis, ex intuitu & sensu tantorum cruciatuum nata, confusio & pertinax quondam in malo factus animus, in perpetuas rapit desperationes & ab omni ordine excludit, impossibile est, sicut ex cæteris, quæ dicemus, amplius apparebit. Igitur inordinatè eos moveri, necesse est.

XLIV. Quartum argumentum ab obstinatione voluntatis damnatæ deductum his verbis ab Alberto proponitur: *Quanto magis est obstinata voluntas, tanto magis peccat in vitâ istâ. Ergo obstinatio non minuit peccatum, sed auget. Sed damnatus à non damnato, quantum ad potentiam peccandi non differt, nisi in obstinatâ voluntate. Ergo plus peccat*

da

damnatus, quam non damnatus. Afferuerat nempe Augustinus, vel iudicio aliorum, Fulgentius, quem §. IV. allegavimus, nullam fore in damnatis voluntatis correctionem: *Voluntas enim eorum talis erit, ut habeant in se semper malignitatis supplicium, nunquam tamen percipere possint bonitatis affectum;* idque probaverat ab oppositione ad salvatos, quorum sicut pertinax in bono voluntas futura est, ad eorundem salutem, ita obstinatum in malo damnatorum voluntatem esse oportebit, ad eorundem perniciem. Quam argumentandi rationem legitimam esse, paulò post ostensuri sumus. Sed & isthac modo damnatae voluntatis pervicacia doceri potest: si damnati in inferno in malo non sunt obstinati, id vel inde est, quod, antequam hinc discederent, obstinati in malo non fuerunt, (quod falsum esse, ex se patet, cum in peccatis ad finem usque vitae perseveraverint, & hoc ipso, quod in peccatis decesserunt, damnati sint) vel, quod malitiam ipsi exuerint, vel quod à superiori Dei potentia eadem fuerint spoliati. Jam verò si malitiam deposuissent, non alia de causa factum id esse potuisset, quam quod sperassent, isthac emendatione & poenitentia poenarum se vel mitigationem vel terminum acquisituros esse. At verò contrarium & hac in vita, immotis ducti fundamentis, perpetuò crediderunt & in inferno experientia quotidie edocentur. Cum igitur omnis motus & quaelibet actio sit propter finem, deficiente fine non poterunt damnati de statu peccati ex se moveri & emendationi studere. Quinimò, cum poenarum acerbitate perpetuò irritentur, vel hinc solatium quoddam & recreationem sibi quaerent, quod injuriis blasphemisque DEUM impetentes adversus tanta mala sese, quantum in ipsis est, vindicaturi sunt. Denique DEUM ex justo iudicio facultate peccandi damnatos spoliaturum esse, non potest idoneis argumentis doceri. Quam in rem inquirendi postea nobis exhibebitur occasio. Utitur hoc ab obstinatione ducto argumento, primarius Ecclesiae nostrae Doctor, Gerhardus: *pravitas voluntatis, inquit, Loco de Inf. §. 76. in qua & cum qua suere mortui, immobiliter ac immutabiliter in perpetuum eis adhaerebit.*

XLV. Quintum apud Albertum argumentum ex principio malarum actionum deductum, his verbis formatur: *DEUS non creavit damnatos ad malum, nec etiam natura. Ergo nec ex DEO, nec ex*